

RAYMUNDUS TELLERÍA

DE SPIRITUALI B. M. V. IMMACULATAE PRAESENTIA
IN FAMILIA ALFONSIANA

Spiritualem Immaculatae Deiparae praesentiam in familia alfonsiana per summa capita indagaturus, fontes huius dissertationis praemittere oporteret; eosdem tamen libello cum caeteris nostri Congressus lucubrationibus edendo relinquens, animadvertam nonnulla ex dicendis – propter rerum elenchum nobis praefixum – communia fortasse videri aliis etiam oratoribus. Sic proinde uberrimum Instituti hortum marianum detondere curabo, ut saltem in prima meae prolusionis parte non nisi ex archivis parum aut numquam exploratis notitias hauriam.

Familiam alfonsianam sub duplici suo aspectu complector: sub primo videlicet, patritium Ligorii ac Cavalieri ornatissimum focum; sub altero, sobolem egregiam SS.mi Redemptoris a primogeniti Ligorii Alfonso in Ecclesia coadunatam, cui suum ipse spiritum et praesertim Immaculatae Dei Genitrici adhaesionem mandare caelitus vocatus est. Nullus reapse inter utramque familiam nexus dulcior extitit quam iugis in divinam Matrem dilectio ac eo ipso vix alius pro utraque stirpe plenior gratiae supernaturalis fons comperitur, qui efficacius animarum compagem irroraverit.

Nunc vero, ne a quaestione mihi proposita deflectar, eas potissimum utriusque familiae pietatis marialis manifestationes prae aliis seligam, quae versus Immaculatam Conceptionem diriguntur, et quidem usque ad huius dogmatis definitionem an. 1854 pontificio oraculo sancitam; deinceps enim caruit defensio et propagatio «piae sententiae» primitivo sigillo certaminis atque strenuae pugnae, quod a saeculis huic disputationi marianae adnectebatur.

His de causis dissertationem in duas partes distribuam, nempe:

PARS PRIMA. — S. Alfonsus, dum in sua clarissima familia usque ad trigesimum tertium aetatis suae annum moratur, Beatam Virginem Mariam sine labe conceptam praedilexit tanquam suae vitae spiritualis advocatam ac tutricem.

PARS SECUNDA. — S. Alfonsus, dum novam divini Redemptoris progeniem condit, eidem transmittit hanc suam erga Immaculatum Deiparae Conceptum devotionem quasi marianae Instituti pietatis gemmam ac totius operis missionarii spirituale signaculum.

PARS PRIMA

SUMMARIUM. - S. Alfonsus in sua familia: 1° A pia matre suxit cum lacte hanc devotionem. - 2° Eandem adolescens matre duce adauxit. - 3° Apud matrem sacerdos perfectit. - 4° In urbe neapolitana huius devotionis studiosissima.

1. — «In principio erat mater». Quae de pluribus Sanctis ab eorum hagiographis passim affertur sententia, hanc potiori ratione meminisse aequum ducimus in S. Alfonsi peregrinatione terrestri, quippe qui per totam viridiorum aetatem consiliis, exemplo ac pia matris consuetudine fructus est, praesertim vero fervida illius in Virginem Immaculatam dilectione. Aegre coeperunt historici alfonsiani penetralia Liguriorum domestica illuminare, ea saltem mensura qua cunctae eorum appetitiones compleantur; inde ex traditione usque hodie credidimus Annam Catharinam Cavalieri S. Alfonsi genitricem, quarto aetatis anno matre Helena orbatam, dies infantiae atque adolescentiae egisse apud patrem Fridericum Cavalieri, U. I. doctorem ac regium consiliarium, ab eoque non nisi post nuptias cum Iosepho de Liguoro an. 1695 discessisse (1). Aliud tamen sat diversum adolescentiae curriculum nuper nobis publica documenta revelarunt, quibus huius matronae eximiae lineamenta spiritualia nitore mariali vestiuntur. Plane namque constat «dominam» seu puellam (*la Signora Anna Caterina Cavalieri*) die 23 decembris an. 1684 (ergo 14 annos natam) praevia S. Congregationis Episcoporum ac Regularium licentia ingressam fuisse tanquam «educandam» monasterium neapolitanum S. Francisci, vulgo nuncupatum «delle Cappuccinelle sopra Montecorvo», ubi illam praecesserant educationis ac

(1) R. TELLERÍA, *San Alfonso M. de Ligorio I*, Madrid 1950, 6.

vocationis religiosae gratia duae sorores natu maiores, Teresia videlicet ac Caecilia (2).

Age vero - ne longius evagemur - preclarum istud nobilium virginum asceterium prae aliis sanctimonialium urbanis conventibus eminebat flagrantissimo studio in augustam Deiparam sine culpa originali conceptam, adeo ut ipsis monialium in religione cognominibus non raro adderetur optativum seu qualificatio «della Santissima Concezione» (3). Monumentum insuper huius marialis tendentiae exstat etiam hodie splendidum altaris maioris linteum depictum, in quo artifex retulit penicillo vere exquisito apotheosim Illibatae Dei Genitricis influxu et merito partam assecularum S. Francisci, qui una cum Patriarca Assisiensi ad pedes Purissimae Virginis inter angelos ibidem pervehuntur (4). Hanc igitur franciscalis pietatis erga Sanctissimam Conceptionem atmospheram respiravit undecim annos mater S. Alfonsi, quandoquidem - nisi graves rationes subreperent - puellae educandae suo quaeque cubiculo intra claustra adolescebant donec novitiatum inchoarent aut in familias matrimonium initurae redirent.

Quibus praecognitis ac rite perpensis quaero, num cuipiam exaggeratum videatur ex hac mariali Annae Catharinae institutione deducere altam familiae ab ipsa conditae propensionem versus praerogativam Sanctissimae Conceptionis. Nec imaginationis figmentis indulgemus, si eandem erga tantum mysterium praeferentiam in Anna Catharina roboratam conspiciamus ex subsequenti ligamine, quod ipsa eiusque filius Hercules strinxerunt cum pio Sodalitio, cui titulus «Real Arciconfraternita dell'Immacolata Concezione de' Nobili di Monte Calvario»: cuius optimates agonale bravium sodalitatis in eo reponebant, quod cuncti «professi», id est, fratres ac sorores enixe decertarent pro incontaminata Deiparae origine Eique sive exercitiis devotionis quotidianis, hebdomadariis ac mensilibus, sive praesertim publicis solemnitatibus (inter quas emicabat annua processio «del Battaglini») (5) noctu

(2) Archivio della Curia - Napoli. Monastero di S. Francesco, vulgo «Cappuccinelle». Documenta videsis apud *Spicilegium historicum CsrR.* 2(1954), 283-294.

(3) Hoc comprobatur s. XVIII in religiosarum elenchis.

(4) Arduum est definire tempus quo linteum depictum fuit, quippe quod tribuitur Nicolao Rossi sub directione celeberrimi Francisci Solimena (1657-1747).

(5) Archivio di Stato - Napoli. Cappellano Maggiore, Congregazioni fasc. 14-4: Textus Regularum quae anno 1685 vigeant. «Perchè la processione che celebra nel Sabato Santo ogn'anno... la nostra Real Arciconfraternita in honore dell'Immacolata Concezione è la più solenne che si fa in regno è necessario che si faccia con ogni devozione». Cfr etiam: *Cenno dell'origine della Reale Augustissima Arciconfraternita della SS. Concezione di Monte Calvario*, Napoli 1931, 355.

sabbato sancto per vias urbis ducenda) obsequium personale ac collectivum deferrent. Huic sodalitia Hercules adscriptus vixit (6), eidem et mater aggregata esse videtur, quoniam - secus ac in aliis piis unionibus - in confraternitate Montis Calvarii membra utriusque sexus adsciri docemur ex libris introitus et sumptuum penes Archivum Status reconditis (7). Utcumque tamen sit de historica Annae Catharinae aggregatione, in aprico manet ipsam voluisse inter sodales vita functos huius congregationis post mortem requiescere sub pallio Immaculatae Conceptionis (8).

Ex his igitur factis, quae multa alia similia adstruere nobis cum fundamento permittunt (9), concludimus electam «dominae» Annae mentem aromate quasi conditam vixisse Mysticae Rosae Immaculatae. Nihil inde mirum si in odorem unguentorum Illius universam Ligorii progeniem ac speciatim filii primogeniti Alfonsi cor trahere materno curavit. Ipsa namque, quae a die baptismatis (et quidem collati in paroecia S. Mariae Virginum, alio sodalitia Immaculatae Conceptionis insignita) (10), primum familiae virgultum, Alfonsum nempe, additamento Mariae signatum adamavit, eidem infudisse censenda est primum quoque semen tenerimae devotionis non solum erga caeli Reginam, sed etiam in Conceptionis Purissimae privilegium. Enimvero sicuti Summus Pontifex Pius IX in bulla «Ineffabilis» atque in Litteris Apostolicis super Archisodalitate de Perpetuo Succursu memorat se «a teneris annis», «a pueritia» Beatam Virginem omni obsequio et filiali pietate prosecutum fuisse, S. pariter Alfonsus iam senior proficitur sibi ab infantia (*fin dalla mia fanciullezza*) periucundas ac venerabiles extitisse marianae devotionis exercitationes, etiam minimas, quales ab hypercriticis tunc temporis parvipendebantur recitatio rosarii, litaniae lauretanae atque sacrorum scapularium

(6) Archivio della Arciconfrat. di Montecalvario - Napoli. *Memoriale per ammissioni* (1736-1776) n. 77. Admissus fuit die 22 augusti an. 1751 cum 18 suffragiis affirmativis et 2 negativis. - Cfr. etiam: *Registro delle ricezioni* (1748-1755) f. 75, ubi dicitur: «Fu incluso con pienezza de' voti».

(7) Sic saltem in secunda parte saec. XVIII. - Archivio dello Stato. Monasteri soppressi vol. 1762. Bilancio... de' debitori e creditori della Real Arciconfraternita dell'Immacolata di Monte Calvario f. 47.

(8) Archivio della Arciconfr. di Montecalvario. Morti vol. 63, Esequie (1737-1762) f. 64. Ipsam ad sepulcrum comitati sunt 22 «fratres» seu sodales.

(9) Nonnulli, e. g., voluerunt piissimam matronam officium divinum recitare consuevisse. Quoad officium B.M.V. absurdum non videtur, quoniam praeter educationem Annae Catharinae monasticam tale officium semel in mense a sodalibus («fratelli e sorelle») etiam saeculo subsequente recitabatur. Cfr. *Regole per la R. Augustissima Arciconfraternita della SS. Concezione di Monte Calvario*, Napoli 1857, 33.

(10) Archivio della Curia. S. Visita, Pignatelli I f. 8 e 11: Visitatio Eccles. S. Mariae de Virginibus an. 1711.

– imprimis Immaculatae Conceptionis (11) – gestatio. Quin immo: prout nonnulli in processibus apostolicis testes declarant, preces Beatae Virginis, etiam per extremam senectutem quasi balbutire perrexit in «charta» seu libello manuscripto a matre carissima olim accepto.

2. — Quae intra domesticos parietes in corde filii marialia semina sparsit, haec confovere «domina» Anna Catharina atque ad umbram Philippensium Patrum maturare properavit. Crebro aequa lance a scriptoribus alfonsianis haud ponderatur quidquid discipuli S. Philippi Neri ad humanam et christianam S. Alfonsi educationem contulerint toto tempore, sexdecim (12) videlicet annorum spatio, quo inter eorum sequaces uti sodalis aut Nobilium S. Ioseph Adolescentium aut illustrium S. Visitationis B.M.V. Doctorum inscriptus experientias «oratorii» absorbit. Nec inscriptio fortuito contigit, sed praeunte illuminata matris intuitione. Familia namque Cavalieri intima necessitudine cum Philippensibus seu «Girolamini» vulgo dictis copulabatur, saltem ex tempore quo Aemilius ac Iosephus, fratres Annae Catharinae natu maiores et patruales S. Alfonsi, praedictum Nobilium Adolescentium sodalium, tamquam eiusdem membra, honestarunt. Sponte igitur sua, maxime cum uteretur P. Pagano philippensi spiritus moderatore, Anna Catharina S. Philippi alumnis thesauros domus suae, filios nempe Alfonsum, Antonium et Gaetanum concredidit, ut quem in materna schola didicerant intactum servare animi candorem, eundem intra oratorii septa firmarent et una cum aliis eiusdem aetatis adolescentibus Patronis supernis ac imprimis Reginae Virginum praeclarae custodiendum offerrent.

Accedit enim quod, etsi iuvenilia sodalitia supra memorata titulo Beatissimae Conceptionis haudquaquam insigniebantur, nihilominus – teste clarissimo P. Antonio Bellucci oratoriano neapolitano – summa cura studebant ut tantum ac pro adolescentibus tam salutare privilegium marianum fide actiosa atque amore exultante omnium cordibus insideret. Sufficit oculis percurrere *Ma-*

(11) Cfr *Pratica del Confessore*, Napoli 1755. Claudit opus cum formula benedictionis scapularis Conceptionis Immaculatae. Postea addit hanc iaculatoriam: «Sia lodato Gesù Christo. Sia benedetta la santa ed Immacolata e Purissima Concezione della B. Vergine Maria».

(12) Ingressus est tamquam «novitius», seu prout hodie dicimus «aspirans», die 7 martii an. 1706; ibidem in oratorium Visitationis ascendit die 15 augusti an. 1715. Tempus autem, quo huic doctorum coetui adscriptus mansit, ac munera quibus in eodem functus est, definire cum certitudine nequimus, quoniam eiusdem acta non conservantur. Ex aliis vero documentis deducitur domum Philippensium frequentasse usque ad biennium 1722-1723.

nuale oratorii, in quo per «laudes» et «ariettas» musicis etiam numeris laetiores sodalibus imitandum proponebatur fulgens virtutum Exemplar in Beata Virgine Immaculata a SS.ma Trinitate conflatum. Hymnos hoc modo absoluebant :

« Solamente in Maria
La legge hor s'è cangiata :
Che pura e Immacolata è concetta.

.....
Poi cantar dolcemente
Sia benedetta l'ora
Che la Nostra fu concetta.

Ogn'altra sì [in peccato concepta], ma non la mia Regina» (13).

Cuilibet igitur, vel cursim pensitanti munera quibus S. Alfonsus eiusque fratres in oratorio plures annos functi sunt (14), patescet ibidem illum non modo suxisse lac nutriens huius fortis aequae ac dulcis devotionis, verum etiam inter socios inchoasse «tanquam novitiorum magistrum» opus sancti proselytismi et - quoad substantiam - Actionis Catholicae hodiernae.

Interea, quin tutamen familiae respueret nec Philippensium oratoriis valediceret, cursus legum S. Alfonsus frequentasse ex instrumentis publicis iam vulgatis edocemur, et quidem intra aulas Universitatis Studiorum neapolitanae, cuius erga Immaculatam Conceptionem testimonium ipsemet in *Gloriis Marianis* commemorat (15), necnon traditionem eiusdem alumnis propriam sese iureiurando obligandi ad «piam sententiam» tuendam. Quod tale iuramentum S. Alfonsus emisit in Collegio Doctorum eo solemniori momento quo fuit inter ipso cooptatus, extra dubium - a me saltem - reponitur, nisi super hac re in illius dedecus exceptionem supponere velimus. Vigeat enim lex sacra hanc de Conceptione Immaculata sponsionem obsignandi eaque collegiis Doctorum neapolitanis ac salernitanis adeo connaturalis devenerat,

(13) *Laudi Spirituali... stampate ad istanza de' Fratelli della Visitazione ...dell'Oratorio di Napoli*. Prima editio, quam novimus, pertinet ad annum 1612 apud Scoriggio.

(14) Ecce nonnulla S. Alfonsi munera: «maestro di cerimonie, consultore, maestro di novizi, portinaio, segretario». Officia singulis sex mensibus commutabantur. Desunt acta oratorii «della Visitazione». Textum integrum opportune in *Spicilegium* inseremus.

(15) *Le Glorie di Maria II, Discorso I Dell'Immacolata Concezione*, Roma [1937], 38 = *Opere ascetiche* VII.

ut etiam theologis «cuiuscumque sint ordinis» (16) ac medicis imponeretur. Primas, hoc pacto, honoris nationalis ferebant ista collegia, ab anno potissimum 1622 quo, cardinali Zapata Philippi III prorege, totius regni proceres doctrinam privilegii mariani amplexati fuerant (17). Hinc in primo huius exercitus agmine utriusque iuris cultores adscribebantur sub finem publicae caeremoniae, qua Almi Collegii membra fiebant. Quod si de tali iuramento silet diploma doctoratus S. Alfonsi nuper publicatum, id diplomatis inopiae tribuendum est textum medii aevi referentis (18). Secretarius vero praedicti Collegii, requisita omnia enumerans «ad U. I. Doctoratus Lauream in Almo Collegio Neapolitano suscipiendam», clare et consulto post longiorem fidei professionem «quam emittere debent scholares in die sui Doctoratus», defigit sensum ac textum praeconii in honorem B.M.V. Immacolatae recitandi et subscribendi. «Sequitur, ait, et alia professio eodem tempore recitanda :

«Ego N. humillimus SS. Matris Dei semper Virginis Mariae servus, ad Tuae Maiestatis pedes provolutus, coram ineffabili unius Dei Trinitate, Patre, Filio et Spiritu Sancto, mente fideliter credo, corde veraciter teneo, ore firmiter profiteor Te Deiparam semper Virginem fuisse, eiusdem Omnipotentis Dei singulari privilegio, in primo instante Tuae Conceptionis sive corporis et animae unionis ab omni prorsus labe originalis peccati praeservatam et immunem. Hoc publice, hoc privatim ad usque vitae spiritum docebo, ceterisque omnibus quantum in me est - Deo adiuvante - tenere et doceri curabo. Ita testor. Ita voveo. Ita iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia» (19). Eadem formula ad amussim concinnata utebantur Collegii salernitani medici doctores (20). Quod illo die manu propria Alfonsus signavit promissum (21), hoc tenuit corde, ore et calamo donec nonagenarius auras carpsit vitales.

(16) *Regii Neapolitani Theologorum Collegii leges, statuta et privilegia*, Neapoli 1749, 17; ed. 1787, p. 30.

(17) BORRELLI, *Memorie della Chiesa di S. Giacomo dei Nobili Spagnuoli*, Napoli 1903, 41 ss.

(18) Cfr E. CANNAVALE, *Lo studio di Napoli nel Rinascimento* (2.700 documenti inediti), Napoli 1875, p. III-IX: Acta foundationis Collegii Doctorum, die 15 maii an. 1428.

(19) IOANN. CORRADO, *De requisitis ad U.I. Lauream in Almo Collegio Neapolitano*, Neapoli 1672, 135.

(20) A. BALDUCCI, *L'Immacolata nelle diocesi di Acerno e Salerno*, [Salerno 1954], 85. Collegium Medicum iuramentum imposuit doctoribus an. 1670 iussu Regis Caroli II, qui hoc pacto honorare voluit «la fervorosa devozione che la felice memoria di Filippo IV ha sempre tenuto verso il mistero dell'Immacolata Concettione».

(21) Archivio di Stato. Cappellano Maggiore, [Scuola Salernitana], Liber Iuramentorum D. Doctorum (1711-1730).

Nec abhorruisse praesumendum est in pia sententia propugnanda ab exercitio ensis quem gerebat, postquam avito Ligiorum iure inter «complateares» Portae Novae comparuit atque intra «sedilis» ecclesiam Sanctae Mariae «in Cosmedin» munera gentis suae patritiae solerter obivit. Ibi namque, sub Patrum Barnabitarum ductu, mysterium Purissimae Conceptionis tanto equitum ac populi plausu recolebatur, ut non multo post novum institueretur Sodalitium seu «Oratorio dell'Immacolata Concezione», cuius «Regole» praecedente Cappellani Maioris voto probatorio a Regia Camera die 27 maii an. 1750 confirmatae sunt (22).

Ex hucusque dictis fas est nobis colligere S. Alfonso, quamdiu annos iuveniles inter mundi illecebras exegit, aciem mentis ac cordis in sidus Virginis Immaculatae praefulgens sedulo convertisse, hortante quidem ac semper vigili matre, quae receptis in monasterium S. Marcellini duabus parvulis filiabus (23) trepidam sollicitudinem pueris adolescentibus servavit, prae primis protogenito Alfonso. Quam vero iste assiduitate ad Purissimam Virginis Conceptionem perfugerit, quibusnam anxius valentioris aetatis procellis, quali animae suae profectu ac solatio devinari melius possumus quam describere. Hoc unum absque ambiguitate nobis constat: studiosum legum doctorem, statim ac in Mariae praeconem sese transmutet, palam confessum iri in prima super Immaculato Virginis Conceptu Dissertatione se huic maris Stellae miserentissimae obstrictum teneri, quod Ipsa opitulante ad diu concupitas salutis oras appulerit.

3. — Portum beatitudinis attigisse tandem credidit cum ecclesiasticae militiae sese addixit. Gressus magnificos, quibus ad altare gradatim conscendit, in memoriam dumtaxat revoco ut participes mecum fiat stuporis et gaudii, quod in suis coaetaneis gignebat incorporatio strenui advocati clero metropolitano. Qui enim hodie ordinandorum Registra originalia pervolvit, clare perspicit qualificationem «patritii» cognomini Alfonsi indeficienter adiunctam et particulam «Don» nomini suo praefixam innuere primum elenchorum locum, quem ei pariter servant (24), ipsi non casu, sed ex intentione et propter suam aetatem ac merita conferri.

(22) Archivio di Stato. Cappellano Maggiore, Congregazioni, fasc. 9-15: Regole... dell'Oratorio dell'Immacolata Concezione... di S. Maria in Cosmedin, detta di Portanova.

(23) Anna Maria seu «Annella» recepta fuit an. 1707; ergo quinque annos nata. Barbara seu Maria Luisa an. 1709; ergo novem annos nata. De his fuse in *Spicilegio* loquemur

(24) Cuncta haec documenta, Deo volente, publici iuris faciemus.

Altiores gratiae ascensiones, quas intra hoc tempus in eius corde disposuit Dominus et quae per studia theologica illum ad Purissimam B.M.V. Conceptionem evexerunt, conicere possumus ex subsequenti sua agendi ratione. Eloquentis huius periodi indicium nobis offert illius Missionibus Apostolicis aggregatio. Ex quo enim an. 1724 primam tonsuram suscepit, ecclesiasticorum «illustrissimo» coetui interfuit, qui in glorioso sodalitia – praeter affectum versus Deiparae dolores et erga salutationem angelicam – intemeratam quoque «Reginae Apostolorum» originem singulari veneratione prosequerentur idque summo mane expromebant dulcissima oratione, quam flexis iuxta lectum genibus ac brachiis in formam crucis extensis recitabant: «Gloriosissima Vergine, Immacolata Madre di Dio: riverisco ed adoro la tua Santissima Concezione, Maternità e Verginità, ringrazio di tutto cuore la sempre augustissima Trinità per quanti singolari privilegi ti fè godere in esser concetta senza colpa originale» (25).

Ad haec silentio praetermitti nequit cuncta studiorum periodo ac primo apostolatus quinquennio S. Alfonsum in praedicto clericorum Sodalitia usum fuisse R.mo Iulio Tornì praeceptore ac consiliario atque ab eiusdem labris et calamo acriorem sine dubio impulsam accepisse, ut sensu credentis ac docentis Ecclesiae innixus Immaculatae Conceptionis veritatem sustineret, qualem – testimonium atque auctoritatem eiusdem Tornì adducens – in *Gloriis Marianis* praedicavit (26). Quin immo: etiam cum, voti sui compos factus, dignitate sacerdotali auctus est ac post primum activitatis triennium in collegio Sinensium sese recepit, propinquitatem atque familiaritatem cum superna Immacolata Regina haud interrupit. Thesaurus namque, quem secum ex insulis Philippinis P. Matthaeus Ripa asportaverat atque in publica Sinensium ecclesiola fidelium venerationi exposuerat, nullus alius agnoscebatur quam prodigiosum Conceptionis Immaculatae simulacrum, cui propter rationes ab eodem P. Ripa in suis *Memoriis* allegatas (27) cognomentum «Reginae Martyrum» addiderat, deinceps et usque in praesens commutatum in «la Madonna di S. Alfonso» (28).

Prius itaque quam indefessus Christi miles ad Collegium Sinensium confugeret, triginta et tres annos ante domesticas aras

(25) G. SOLIMENO, *L'Ave Maria della Missione*, Napoli 1677, 575.

(26) *Le Glorie di Maria II*, Roma [1937], 38.

(27) M. RIPA, *Storia della Congregazione e del Collegio de' Cinesi I*, Napoli 1832, 286.

(28) R. TELLERIA, *S. Alfonso I* 129.

insumpserat duplici «irradiatione» perfusus: alia videlicet, quae ex caelico Dei Genitricis vultu supra illum descendit; alia vero, quam in facie dilectae matris Annae Catharinae deprehendit: utraque perenni ac suavi fluxu convergebat, ut generosam Ligorii propaginem unctione Spiritus Sancti ditaret. Nemo sane rerum spiritualium expers ignorat quanti pro illibatiore vita iuvenili, immo et sacerdotali, ducatur sub eodem tecto societate matris optimae perfrui. Id profecto contigit S. Alfonso, in cuius intima psychologia ac potissimum in sua filiali erga Dei Genitricem deditio discernere nonnulli sategerunt vestigia – in sublimiorem quidem verticem elata – suae cum «domina» Anna Catharina conversationis: indoles quidem seu radix spiritualis vitio nequaquam vertenda si alii in ipsius divini Verbi incarnati humana agendi ratione delibare ausi sunt quasi «cinnamomi odorem», quem ferebant manus Purissimae Virgis Nazarethanae.

4. — Tali praeditus physonomia interiori pervigilium foundationis Instituti nostri salutavit conditor Alfonsus. Meminisse tamen decet illum fuisse ortum atque primo saeculi ventennio habitasse intra moenia urbis ferventer marianae. Metropolis namque neapolitana quae, paulo post, sceptro Caroli Borbonii subiecta mansit, ab ipsomet in vita privata castissimo principe stimulum gaudenter subiit, ut flamma erga Conceptionem Immaculatam, in universa Ecclesia tunc temporis exardescens, ignitior ac fulgentior versus caelum iuxta Vesubium attolleretur. Quod si me modum in dicendo excedere suspicamini, perpendite quaeso haec duo facta. In Registro Sacrae Visitationis seu «Pandetta Generale del Repertorio della Santa Visita» penes Curiam archiepiscopalem adservato comperimus sub voce «Maria» tempore cardinalis Spinelli – id est, post urbis ac dioeceseos visitationem quam S. Alfonsus cum suis et dioecesanis missionariis praeparavit – extitisse non minus quam 900-1000 altaria in urbe-capite diversis titulis marianis dedicata, quibus necesse est addere summam fere aequipollentem in archidioeceseos paroeciis atque «casalibus». Sicuti facile intelligitur, honorem cedit Registrum altaribus Purissimae Conceptioni deditis. Ex alia vero parte (ecce secundum factum) eandem praeponderantiam nobis discooperit Archivi Status Registrum seu «Fondo» ubi statuta (non quidem omnia) congesta iacent sodalitatum, quae sub Mariae Immaculatae vexillo a Cappellano Maiore atque a Regia Camera adprobatae vigerunt. Iam vero illarum index pro universo regno ad 250 adsurgit, pro urbe

autem principe ad 20 et amplius (29). Piae istae Uniones, mirifico sensu christiano imbutae, nobilibus ac plebeiis carissimae, fidem eucharisticam et marialem cultum ubique diffundebant. Nec miremini cur ardor ille erga Conceptionem Immaculatam exaestuans in plateas publicas irruperit, in viculos et angiportus, sive per statuas et monumenta, sive praesertim per imagines noctu lumine conspersas; adeo ut urbem universam - ceterum non semper atque in omnibus illibata fama fruentem - in sanctuaria B.M.V. transformarent, et sane eo civium ardore, tanta spontaneitate, tali sincera fiducia, quae gentes meridionales decet. Huic amoris fornaci adponite carbones atque insufflationes, quae interdum ex Alma Urbe superveniebant et quae a R.mo Iulio Tornj in suis adnotationibus gelidae Estii «neutralitati» opponuntur. «Novissime [sic ille], anno scilicet 1709, Clemens XI quo ostenderet Sedis Apostolicae erga piissimam sententiam propensionem... ac intentionem, idem festum Immaculatae Conceptionis ab omnibus Christi fidelibus in toto orbe degentibus de praecepto observari speciali suo decreto iussit ac mandavit» (30).

Omitto alia quam plurima: praedicatorum e suggestu conclusiones, scriptorum opera scientifica ac popularia (31), ingruentem in regno opinionem antimuratorianam (32). Finis sit primae huic Dissertationis parti, a vobis quaerens: nonne luce solis clarius (verbis utar S. Alfonsi) perspicimus Providentiam divinam Fundatori nostro viam stravisse, ut in Ligorj palatio atque intra maiorum civitatem, acciperet devotionis marialis pignora, quorum novam familiam religiosam participem et cohaerem redderet? Ita quidem factum est, ut ex nunc dicendis apparebit.

(29) Archivio di Stato. Diplomatica, Indice delle congregazioni, provenienti dal Cappellano Maggiore. - Index iste confectus est a doctore E. Gentile.

(30) G. ESTIUS, *In IV Libros Sententiarum commentaria*, [ed. IOS. TORNI] II, Neapoli 1720, 8 in nota.

(31) Cfr. e. g. GIOV. VINC. AMORETTI, *Novena per apparecchio alla festa dell'Immacolata Concezione*, Napoli 1738. Auctor erat S. Alfonsi valde amicus. Affert (p. 82) formulam iuramenti pro tuenda «pia opinione».

(32) Die 5 septembris an. 1750 scribit Nuntius neapolitanus cardinali Valenti: «Il P. Pepe seguita dal pergamo ad inveire contro il povero Muratori... ha fatto dalla Corte sequestrare la stamperia, dove si doveva ristampare lo stesso Muratori». (Arch. Vat. Napoli vol. 232 f. 197). Ceterum Muratorius omnes suas opiniones, teste eiusdem nepote, palam exponere non est ausus. Super Conceptione B.M.V. Immacolata suggerit ipse die 17 feb. an. 1741 Ioanni Bottari: «La quale [S. Sede] col concedere la festa della Concezione si pretende abbia deciso il punto, quando gli stessi Pontefici han sempre detto che si riserbano di decidere» (Bibliotheca Corsiniana - Roma. Codex 2023, f. 2v : Lettere di L. A. Muratori a Mgr Bottari).

PARS SECUNDA

SUMMARIUM. - S. Alfonsus transmittit hanc suam devotionem: 1° Dum corpus Instituti sub eiusdem B.M.V. conspectu efformatur ac crescit. - 2° Dum Instituti anima eodem tempore expanditur et roboratur. - 3° Huic B.M.V. praedilectioni respondet Institutum Ipsam declarans Congregationis Patronam. - 4° Sub Illius patrocinio insigniores Instituti viri usque ad definitionem dogmaticam Immaculae Conceptionis floruerunt.

I. — Patritiae suae familiae non renuntiavit S. Alfonsus nisi ut clariorem in Ecclesia progeniem suscicaret, cui animae suae dimidium, devotionem scilicet erga Purissimam Dei Genitricem infunderet. Id ipsemet praesensisse videtur cum mensibus vernis an. 1730 in altiplanitiem S. Mariae «di Monte» supra Scalas conscendit. Eventus noscitis ac personarum adiuncta historica, quae nihilominus recentissime coevis documentis vividius inclarescunt. Altiplanities etenim seu «la Montagna», prout in instrumentis notariorum et municipii nuncupatur, minime effingenda est ab oppido Scalensi indivulsa, sed potius existimanda quasi palaestra et maxima praeoccupatio incolarum, quorum frequentes «parlamentis» (sic ab actis vocatur) deliberationes in id coalescebant, ut montis pasqua, greges, silvae, pastores aequo iure regerentur.

Hac de causa fanum sive eremitorium B.M.V. in montis cacumine exurgens, nedum oblitum et parvipensum, a saeculo et amplius in ditionem ac ius patronatus transierat familiae Surrentini, ad cuius nutum amovebatur vel instituebatur cappellanus, qui diu noctuque rusticae frium altarium ecclesiolae adsisteret ibique quater in hebdomada pro intentionibus patroni sacrum offerret. Dura sane cappellani vivendi conditio, praesertim hiemali tempore, in illo eremo mille metris supra amalphanum mare gemmeum edito. Hinc cappellanus Carminus Sanmarco, munere suo an. 1726 potitus, ante sexennium ex loco discessit, gravibus adversus eum promotis querelis eique suffectus est Stephanus Cappuccio, cui mense maii an. 1732 veniam concessit municipii «parlamentum» seminandi agellos eremitorio adiacentes.

Quibus praecognitis, satius intelligitur cur an. 1730 S. Alfonso eiusque sociis - ac anno 1734 etiam Ven. Ianuario Sarnelli (33) - facultatem auctoritas ecclesiastica largiretur non modo ad B.M.V. aedem rusticandi, verum etiam SS. Sacramentum ibi-

(33) *Analecta C.S.S.R.* 11(1932) 362.

dem adservandi. Fortunatae feriae! Undique enim silvae et solitudo ipsumque illud silentium, quae Alfonso a pastoribus circumcincto peracuta cogitationis incitamenta fiebant. Excubias igitur dum per mensem protrahit coram Dei Genitricis – inter bracchia divinum Filium gerentis – pulcherrimo simulacro, animae ipsius futuras pervasit lumen illud supernaturale, quo ad plebem maxime opibus destitutam redimendam superne invitabatur.

Quod si in hac secreta Mariae Virginis illuminatione mysterium Conceptionis Immaculatae abesse videtur, illud praefulgere paulo post cernimus, cum fervens noster eremita ex umbroso S. Mariae «di Monte» fastigio descendens in collis devexitate intra oppidi moenia constitit atque sacrarum virginum ingressus est monasterium, cui post multas a fere saeculo vicissitudines affigebatur titulus: «Venerabile monastero di Sacre Verginelle sotto il titolo dell'Immacolata Concezione e Visitazione». Honore maximo Scalas haec Institutio mariana decorabat: quoniam inter cappellas, quae sive in Tramontio, sive Ravello, sive Pontone et Minuto Conceptionis Purissimae mysterio addicebantur nitebat ecclesiola asceterii Scalensis, in cuius altari principe perpetuam Beatae Virgini sine noxa originali conceptae capellaniam erexerat – patronatus iure – familia Gregorii Bianco, deinde genti Scoppa, demum stirpi Ranucci transmissam (34).

Uni ex his patronis certo certius adiudicanda est affabre depicta altaris maioris tabula (35), cuius aspectu iucundissimo fieri non potuit quin S. Alfonsi cor raperetur. In ea etenim caeli Regina exhibebatur atque adhuc hodie ostenditur iuxta archetypum priore saeculo a Ioanne Bernardo Lama (1508-1579) in Mercato Sanseverino depictum et gentibus salernitanis ac amalphitanis predilectum (36): ibidem Maria triumphat duodecim stellis coronata, velenosum serpentis caput pede suo proterens, albam tunicam induens ac pallium caeruleum, symbolis biblicis circumcincta, quae suae victoriae culmen coram fidelibus concelebrant. Ad me non pertinet singulos enucleare factorum ac personarum interventus, quorum successione providentiali cunabula nostri Instituti ad umbram huius historicae effigiei (37) plasmata veneramur.

(34) Ne dissertatio nostra nimis adnotationibus oneretur, praetermittimus et in aptiorem occasionem remittimus documenta super Scalas edenda.

(35) Eiusdem typi translatio quaedam recolitur in sacello Seminarii archiepiscopalis Salernitani.

(36) A. BALDUCCI, *L'Immacolata nelle diocesi di Acerno e Salerno* 64, Photocopia.

(37) Iam saec. XVII legata sunt Conservatorio propter devotionem donantis erga effigiem Immaculatae Conceptionis, beneficium autem seu capellaniam in honorem eiusdem Virginis fundavit Gregorius Bianco an. 1692.

Memoriae dumtaxat inurite ex Illius propinquitate ac Ipsa suaviter afflante ortum habuisse minimum, at gloriosum Congregationis nostrae molimentum: hinc Ven. Mariae Caelestis aliarumque Sororum ad Fundatorem nuntia, hinc in ipsum animarum derelictarum clamores, hinc divini etiam Redemptoris – quem Instituti condendi ducem et caput vaticinatio crostarosiana proclamat – ad «suum instrumentum», Alfonsum nempe, motiones supernae, ut obedientiae scuto munitus opus sibi a Deo praestitutum adoriretur.

Exultent igitur nobiscum hodie ubique terrarum filii SS.mi Redemptoris, quibus Cor Mariae Immaculatum tanquam nostrae familiae originem revereri discimus. Verum enimvero cum, superatis dubiis atque obstaculis, Alfonsus an. 1732 Scalas domicilium defixit ibique die 9 novembris sociorum corona stipatus manipulum missionarium caritate devinxit, nullum ad perseverantiam hortamentum suavius aequae ac fortius praegustavit – post aliunde notas in sacro Ostensorio apparitiones – quam Immaculatae Dei Genitricis praesentiam ac fideiussionem. Ipsa nascentis legionis Signifera atque apud Filium Mediatrice potentissima ex solio Scalensi pollicebatur se copiosum redemptionis imbrem animabus largituram, copiosiora autem gratiarum fluentia super novos Christi athletas effusuram. Ideo non multo post, primis Fundatoris consortibus ob erumpentes dissensiones abeuntibus, praevidens ille Conceptionem Purissimam sibi praesidio futuram ut castrorum aciem ordinatam militiae divini Salvatoris fidelis restitit; eo vel magis quod in Sacro Specu Scalensi colloquia intima cum inferorum Triumphatrice permiscens ab illius ore tot ac tam pulchra discere meruit.

Caelestis Adiutrix promissis stetit. Ipsam etenim suos Evangelii praecones e domo Anastasii exeuntes (38) antecessisse contuemur quasi splendentem ignis columnam in collegiis primitivis, quorum ecclesiae – etsi titulo Conceptionis haud decoratae – patrocinio Deiparae fulgebantur vel in oppidis aut in regionibus surgebant, ubi perferbuit Christifidelium erga universalem gra-

(38) Ex documento coaevo transcribimus descriptionem domus, qualem an. 1717 sibi vindicavit Teresia Anastasio, filia Antonii Anastasio: «Una Casa palazziata consistente in più e diversi membri, cioè una sala, una camera verso mezzo giorno con loggia, due altre camere con cucina nel medesimo piano di detta sala verso settentrione, e appresso due altre camerette con cucina grande, e da sopra la medesima due altre camere con pennata, seu soppigno sopra di esse, da sovra detta casa, due cantine con cellaro, e due bassi, cisterna e forno, con una pisciera grande, e palmento et altre comodità con una vigna e bosco attaccate a detta casa...». Vindicationem Teresiae Anastasio probavit eiusdem maritus Isidorus Battimelli. Documentum integrum proxime edetur.

tiae Dispensatricem devotio. Ita, ex.gr. Iuranis in pervetusta S. Sophiae ecclesiola thronum misericordiae adire S. Fundatori licuit: «Altare a parte evangelii della Madonna delle Grazie»(39), dum in circumstante regione (Solophae, S. Georgii(40), Serini(41) confovere poterat sodalitates Purissimae Conceptionis. Eidem gratiarum Pelago appropinquavit Nuceriae Paganorum per aedem, cui servivit, «sub invocatione S. Mariae Gratiarum del Maio» ex lignea Icone aurata maiorem aram praesidentis. Prius tamen noster Parens in Villa Liberi famulatui se mancipaverat humilis sanctuarii Beatissimae Annuntiationis, seu (ut passim in documentis publicis compellatur) «Ave Gratia Plena». Illiceti pariter speciosissima altaris maioris tabula depicta Beatam Virginem de Consolatione effingens tum sua venustate, tum prodigiorum fama zelantem missionarium allexit, ut sanctuarii onera - spretis solitudinis incommodis - susciperet. Capite Silari (Caposele) tandem illi comiter arrisit ex Matris Domini simulacro, cui labentibus annis portenta S. Gerardi Maiella fas esset adiungere.

2. - Ex hucusque delibatis dimetiri licet quo gradu et quanta fortuna corpus Instituti nostri plasmatum fuerit et usque ad approbationem pontificiam excreverit sub influxu ac dependentia B.M. Virginis. Hos vero natales fortunatos, minus autem incrementum familia nostra haud agnovisset nisi animam quoque Instituti gratiarum effluviis Regina Immaculata perunxisset. Genuinam inde proles alfonsiana spiritualem configurationem assumpsit, per signatam filiali in Purissimam Corredemptricem dilectione. In id confluerant, praeter intimas S. Fundatoris aspirationes, Scalsensium quoque sanctimonialium traditiones atque R.mi Falcoiae incitamenta.

Imprimis sanctimoniales. Quo lumine secreto, quali animae dulcedine, quanto cordis ardore emolliuntur earum epistolia ex Sanctissimae Conceptionis asceterio S. Alfonso transmissa! Eidem v.gr. rescribit Soror Maria Colomba: «Mamma sembra mi dimostra che Voi sete [*sic*] il suo diletto figlio. Oh quanto Vi ama questa bella Signora: chi mai lo può dire?»(42). Antistita etiam Maria Angela del «Cielo» stimulos admovet: «Do supplica al mio Sposo e Mamma Maria per Voi e per tutta la compagnia...

(39) Archivio della Curia - Salerno. Sacra Visita, Ciorani.

(40) «Venerabile Oratorium SS.mae Conceptionis terrae S. Georgii» opplet folia notariorum Dominici Neapolitani (vv. 5532-5534) et C. Silvestri (v. 5535) tempore S. Alfonsi.

(41) A. BALDUCCI, *L'Immacolata nelle diocesi di Acerno e Salerno* 78.

(42) *Analecta CsrR.* 5(1926) 118.

Di a Mamma che ti dia anime assai. Portali allo Sposo: io sto attualmente negoziando collo Sposo e con Mamma Maria che mandi assai operarii secondo il suo Cuore nella vigna della Santa Chiesa» (43). Demum Ven. Maria Caelestis Crostarosa Fundatoris eosdem gressus perstringit: «Il mio Gesù fece donazione alla sua cara Madre di tutte le anime di quest'Istituto consegnandole per sue care figlie ed Ella con grande amore le accettò. Mi fu dato intendere che per impegno di Maria si è accelerato il principio di quest'Istituto contro la forza del nemico infernale» (44).

Ut cumque haec nuntia aliaque his similia iudicentur, et novimus quanti a S. Fundatore haberentur (45), prae se ferunt cunctos negotii participes fiduciam in benignissima Thesauraria reposuisse, quae dicit diligentes se ac muneribus pretiosis animas eorum replet. Huc pariter convolabant iacula amoris a R. mo Falcoia cordi Fundatoris infixae: «Raccomandiamoci scambievolmente a Gesù e Maria» (46). «Figlio mio caro: abbiate fiducia, non temete alla tempesta, poiché il Signore è nella barca... Gesù è l'amore eterno: Vi vuole tutto il suo bene. E la Vergine SS. ma è la bella Madre del Santo Amore: e nell'amore di Gesù e di Maria godremo in eterno» (47). Et amplius: «Sì, Signore, mi voglio dichiarar obbligato di sempre raccomandarli a S. D. M. e a Mamma per tutti i motivi ch'ella dice e per cento altri che so io» (48). Quin immo: venerandus Praesul mortis proximus nullum aliud suae memoriae pignus novello Fundatori eiusque religioso gregi mandare voluit quam effigiem B. M. V., probabiliter «della Potenza» dictam: «La gemma sua più cara, scribit apud moribundum Ven. Caesar Sportelli, anzi l'unicamente cara, cioè l'immagine di Maria SS. ma a noi... Ci avrebbe voluto mandare ora la Madonna; ma vuole morire con Lei. Ma quando arriverà dice che la trattiamo bene» (49).

Magnes igitur societatis apostolicae sub his auspiciis nascentis dicendus est ictus oculi Reginae caelestis, etsi non semper expresse compelletur vocabulo Immaculatae Conceptionis. Quo vero strictius manu quoque tenerent sodales fimbrias Eiusdem pallii caerulei, usus et consuetudines amplectebantur quae in monialium *Directorio* ac in statutis provisoriiis utrique Instituto com-

(43) *Ibid.* 44-45.

(44) *Analecta* 4(1925) 233.

(45) Ipse namque S. Fundator, nedum spernere, documenta servavit posterisque mandavit, propria manu quandoque adnotationibus praetiosiora.

(46) *Analecta C.S.S.R.* 12(1933) 37.

(47) *Ibid.* 40.

(48) *Analecta* 5(1926) 47.

(49) *Epistulae Ven. S. D. CAES. SPORTELLI*, [ed. C. HENZE], Roma 1937, 85.

munibus inveniuntur. Primo obtutu suspicari quispiam posset Ven. Mariam Caelestem imitatione Iesu Christi mystice abreptam tenuiore in Beatam Virginem propensione vixisse. Aliter nihilo secius concludet si *Directorium* crostarosianum oculis perlustrans consilia non pauca atque exercitia deprehenderit, ex quibus valde probabiliter originem ducunt nostrae quaedam traditiones mariales. Ibi, ex. causa (50), conspicimus quanta diligentia, statim ac «lux aurorae rutilans coruscat», post oblationem sui ipsius Beatissimae Trinitati flexis genibus factam, benedictionem quoque Reginae Immaculatae sanctimonialis super labores quotidianos efflagitet recitans antiphonam «Salve Regina». Identidem ante praecipuas diei actiones invitatur, ut nomen atque operationes B.M.V. consociet exemplis divini Salvatoris, quem in omnibus signate imitari tenetur. Huc accedit quod sub vesperum quotidie premitur ad ruminandos illibatae Matris dolores Filium suum iuxta crucem compatiens. Post examen denique vespertinum, prius quam ex choro cubitum secedat, iterum - sicuti diei initio - ad Dei Genitricis sedem accurrit Illius benedictionem imploratura. Generatim namque hanc filialem e manu «Mammae» dependentiam tanti ponderabant sacrae virgines, ut novitiis cunctis quoties ingredi in cellam aut ex eadem egredi contingeret, per regulam suaderetur: «Nell'uscire e nell'entrare nelle loro stanze prendono acqua santa benedetta, chiedono la benedizione a María SS.ma, pregandola della sua assistenza e bacino i piedi al Crocefisso».

Praeaudatas consuetudines Fundator noster in sua familia perennare volens, easdem sive *Directorio* precum primigenio sive statutis - quoad substantiam - inseruit, sic tamen ut liliali Purissimae Conceptionis odore efficaciores redderet. Speciminis gratias decerpimus quosdam *Directorii* nostri textus (51):

a) «In levarsi... tutti i pensieri, parole ed opere di questo giorno e tutto quello che mi accadrà a soffrirsi l'unisco con quelli di Gesù e di María».

b) Exordiente die suam quisque castimoniam Reginae angelorum custodiendam defert: «Dopo vestito... tre Ave María colla faccia per terra o colle braccia in croce alla purità di María SS.ma - Indi si porranno sotto il manto di María e nella piaga del Costato di

(50) *Costituzioni per le monache de' Monasteri del SS. Redentore*, Napoli 1764, 114 ss.: *Directorio*.

(51) *Analecta* 2(1923) 183 ss.

Cristo, pregando l'Eterno Padre che per l'amor di Gesù e dī Marīa li tenga sopra le mani in quel giorno».

c) *Monialium gestus subinde mutuatur*: «Sonando il segno dopo mezz'ora della levata, in uscire dalla stanza cercheranno la benedizione a Marīa», cuius imago, ut par est, crebro augustissimam B.V. Conceptionem referebat.

d) *Post recitationem «Angelus Domini» ac meditatione absoluta, iterum Immacolatae nomen tanquam balsamum aromatizans omnium ora circumibat*: «Prima, Terza e Sesta e poi si partirà del coro dicendosi in segreto... Sia lodato oggi e sempre e ringraziato il SS.mo Sacramento: sia benedetta la santa, purissima ed Immacolata Concezione della B. Vergine Marīa». Libenter subiunxerim iaculatoriam istam quasi tesseram et symbolum legionis alfonsianae domi ruriue constituisse.

Quibus omnibus adnectite alias familiae ligorianaе consuetudines:

a) «Esame particolare, praescribit *Directorium* (52), per un «Miserere» e si termina coll'antifona «Sub tuum praesidium». - «In ogni sera si leggerà qualche cosa di Marīa per qualche tempo a tavola», sabbato autem sub finem lectionis.

b) «Esame di sera si termina colla litanía a Marīa Vergine»: quae litaníae aliunde pro benefactoribus vita fruentibus recitabantur. - Omitto alia quam plurima, v.gr. psalmos dictos S. Bonaventurae (53), novendiales annuas, prae primis Immacolatae Conceptionis, mortificationes privatas et publicas in Dei Genitricis obsequium.

Interea Regulae ac Constitutiones paulatim exarabantur huius halitus marialis neutiquam expertes. Formula ipsa primitivi voti perseverantiae ac subsequenter professionis adumbratio ter Dei Genitricis patrocinium super candidatum implorat (54). Ad haec, quoniam omnibus Fundatoris discipulis familiaris evaserat illius doctrina de munere caelesti Mediatrici concredito in vocatione religiosa suscitanda et custodienda, capitulares an. 1743 suggerere non verentur cuilibet Institutum ingredi deposcenti: «Ogni giorno visita al SS.mo Sacramento e a Marīa SS.ma e li cerchi la perseveranza nella vocazione» (55). Tyronibus proinde ad pro-

(52) *Ibidem*.

(53) Consuetudo hos psalmos recitandi sancita conspicitur in editione Constitutionum a R.mo P. De Paola promota (Romae, Canaletti, 1782), ubi in exercitorum appendice inseruntur.

(54) *Analecta* 1(1922) 43.

(55) *Ibid.* 139.

bationem admissis, intra proprium sacellum Immaculata Conceptio obversabatur colenda atque imitanda tanquam summum cuiusque virtutis paradigma et invictum contra animae hostes palladium.

Familiae per vota religionis adscitus mentem cibare pergebat alumnus hoc pabulo mariano Regulis et Constitutionibus incorporato. In ipsis namque, etsi non raro per transennam, invitationes seminantur ad frequentem de B.M.V. cogitationem:

a) Iam inde a primitiva introductione, ubi Dei Verbum humana carne vestiendum forma et principium declaratur specificae nostrae perfectionis, non seiungitur ab intemerata Dei Genitrice, utpote «concepito nell'utero verginale di María» (56): perinde ac si tali declaratione vellet Fundator consodalibus recordari ab Illa et per Illam dumtaxat adepturos perfectam cum suo Filio similitudinem.

b) Quoniam vero haec conformitas in caritate et per caritatem radicatur, Constitutio super hac virtute exquirat ad ipsam obtinendam suffragium omnipotentis Mediatricis: «E v'interponghino cordialmente li meriti e le preghiere della bella Madre del Santo Amore, María SS.ma, Madre nostra» (57).

c) Cuius Matris dilectissimae lineamenta ut quam arctissime cordibus inciderent, oculis etiam subiiciebantur ideoque in Constitutione de paupertate praescribitur: «Quattro figure di carta..., una imagine di María che terranno al capezzale del letto» (58): ecce igitur Immaculatae Virginis effigies (plerumque Illam seligebant) somni quietem missionariis elargiens! Praeterea circum marianum cardinem die sabbati omnium pietas intensiusolvebatur: «Il sabbato [preces et intentiones Regulae] per tutti i divoti di María SS.ma». Demum quandoquidem praelia castitatis etiam religiosis subeunda manent, quo validius illa superarent docebantur alumni Instituti galea Purissimae Conceptionis sese praecingere hoc monito Constitutionum Caputsilarensium an. 1745: «Per l'acquisto di questa virtù... siino divoti intimi e cordiali della Vergine Immacolata, Specchio senza macchia alcuna, perché si degni impetrarli e riverberarli il candore della sua tersissima Purità» (59): commendationem valde opportunam ac psychologicae efficacem, quam pro se ipso transcripsit in primo codice

(56) *Analecta* 6(1927) 182.

(57) *Ibid.* 337.

(58) *Analecta* 7(1929) 48.

(59) *Ibid.* 346.

spirituali S. Alfonsus (60) et cuius spiritum retinuit textus Regulae an. 1748 S. Sedis approbationi subiectus: «E per l'acquisto di questa virtù siino divoti al sommo della Beata Vergine Maria Immacolata» (61): quod tamen comma expunctum fuit a revisoribus romanis in redactione, quam Breve pontificium sancivit adeo canonicis praeiudicijs perpolitam, ut in eadem vix nomen Mariae compareat nisi quando de visitatione quotidie ad Ipsam peragenda vel de rosarii recitatione eloquitur, subiungens nihilominus ac sanctum tectumque affirmans principium generale: «A cui [Maria] dovranno tutti professare speciale devozione e tenerezza» (62).

Sed de his satis. Fortasse quispiam maluisset in spiritualitate nostra mariana notam illam seu «characteristicam» interiorum, cuius vi atque impulsu aliis scholis (63) magis arridet («intimitatem») animae in Beata Virgine scrutari quam Eiusdem excellentias ac glorias extollere. Unicuique individuo ac genti suam viam relinquere oportet. Attamen si pressius indoles devotionis marialis apud S. Alfonsum eiusque religiosam familiam perpenditur, elucet quo pacto utriusque amor generosus, quotidianus, filialis, etsi obsequiis ordinariis praegnans, nullam dilectionis significationem excludit ac prae aliis sic dictas «elevationes» altiores, quae ex corde et calamo sancti Doctoris erumpunt, quin ullam theoriam mariologicam vitae cuiusque spirituali superimponere inhiet.

3. — Superest ut in memoriam revocemus quo pacto huic B.M.V. interventui in universi Instituti corpus et animam, alfonsiana familia grato corde ac testimonio colectivo responderit. Id solemnī statuto ipsa perfecit Nuceriae Paganorum in capitulo generali an. 1749, ubi post Regulam pontificiam gaudenter acceptam novae illius incremento viae patuerunt sub conclamato Purissimae Conceptionis patrocinio. Radix proxima declarationis capitularis, quam mox afferemus, duplex extitit: ex una parte circumstantiae nationales, ex alia specialis Reginae Immaculatae assistentia in approbatione romana prius obtenta.

(60) Arch. gen. CRR., SA. M. VI 10 p. 77: «Perciò divoti intimi di Maria Immacolata».

(61) Arch. Vaticano. Concilio, Positiones 1749, Cong. SS. Red. - Intento e Regole, Reg. VI.

(62) Arch. Vaticano. Secretaria Brevi (già Dataria) 3180, Cost e Reg. - Della frequenza de' sacramenti.

(63) Cfr J. DANIELOU, *Marie dans la spiritualité française: Etudes* 281(1954,2) 145 ss.

Quae Neapoli a primo saeculi decennio, uti supra diximus, invaluerant disputationes privatae ac publicae super «pia sententia», eadem pugnaci rythmo conserebantur quarto decennio. Praeces quidem instantissimae Benedicto XIV oblatae fuerant, ut controversam opinionem fidei articulum definiret. Quidquid sit de tanti Pontificis privata intentione, indubium est - prout ex Archivo Corsiniano monemur - inter ipsius familiares pullulasse restrictivae Muratorii sententiae fautores (64). Unum recordabor reactionis antimuratorianae pro «Immaculatissima» [sic Neapoli dicebatur (65)] monumentum adhuc exstans: columnam videlicet seu pyramidem coram Ecclesia «del Gesù» structam ac die 7 decembris an. 1747 inauguratam, zelo potissimum P. Francisci Pepe S.I., a rege Carolo largitionibus et maxima protectione adiuti (66). Dehinc illud candidum Purissimae Conceptionis simulacrum columnae fastigio impositum et absque dubio a S. Alfonso illa aestate praeonoratum devenit symbolum regalitatis Mariae supra Siciliae utriusque confines. Quin etiam: anno sequenti Beatissima Imperatrix sine labe concepta declarata fuit populi neapolitani honorificentia ac totius regni principalis Patrona. Id nos docet folium publicum *Diario Ordinario* Romae editum: «Napoli, 10 dicembre [1748]. Domenica con straordinaria pompa, e festività più solenni de' passati anni, in tutte le chiese dedicate al mistero gloriosissimo della Concezione di Maria SS.ma fu celebrata tale festività per il nuovo rito di doppio della prima classe, concesso dal regnante Pontefice alle piissime pre-

(64) Scribit v.g. Ioann. Bottari Benedicto XIV familiaris et multis honoribus in Alma Urbe auctus: «[Il Belluga] fa fuoco, perchè il Papa decida e faccia articolo di fede la Concezione Immacolata della Madonna... Il Papa non può fare altro che dichiarare una verità essere nella Scrittura o nella Tradizione, e perciò essere di fede. Ma la Concezione di cui la Bibbia non parla e la tradizione di 13 secoli e più è contraria, non può da nessun Papa esser dichiarata di fede». (Bibliotheca Corsiniana - Roma. Codex 1910, f. 129: Lettere di Mgr Gio. Bottari al Duca Bart. Corsini). Belluga erat cardinalis et regis hispani legatus.

(65) Consilarii banchi nummularii «dei Poveri» statuunt die 6 maii an. 1743: «Con polizza al M. RP. Francesco Pepe della Comp. di Gesù in sussidio della spesa occorre nel far formare una statua d'argento della SS.ma Vergine Immaculatissima nella chiesa del Gesù Nuovo... [doc.] 378, 40» (Archivio dello Stato. Banco dei Poveri, Libro magg. 1743, f. 266).

(66) P. Pepe a rege Carolo postulavit ut coram Benedicto XIV intercederet ad officium «et missam de Immaculata recitandam singulis sabbatis necnon ad Immaculatae festum in utraque Sicilia celebrandum ritu duplici primae classis. Annuit cappellanus maior, sed gubernium adnotavit: «Portici, 6 luglio 1747. Nel Consiglio di Stato, come lo propone, senza nominarsi che tal petizione siasi fatta dal P. Pepe» «Arch. d. Stato. Espedienti di Real Camera, vol. 113, an. 1747, luglio). Benedictus XIV dedit responsum negativum.

ghiere de' nostri Reali Sovrani, che l'han prescelta Protettrice la più principale de' loro Regni» (67).

Iisdem igitur diebus - ecce secunda et fortior causa decisionis capituli an. 1749 - quibus Pater Villani solertia diplomatica, at praesertim totis suorum et consodalium precum nervis conabatur in Alma Urbe sigillo pontificio obsignare nostras Regulas et Constitutiones. Epistolae frequentes, quas Roma Neapolim cuncto legationis tempore misit, dignae profecto manent quae ab omnibus Instituti alumnis sedulo perlegantur, modo - factis, non verbis - prisca veneratione circumferre velint illa statuta pro quorum singulis virgulis vitam effundere negotiator multoties se paratum fatetur (68). Ingenua fiducia arduos per Urbem passus tutamini B. Virginis addixit, integram quoque exitus gloriam Eiusdem efficaci praesidio refudit, speciatim Inviolatae Conceptionis auxilio. Speciminis gratia ex tot epistolis quaedam effata seligimus. Die 2 novembris an. 1748, adhuc per neapolitanos viculos cursitans, S. Alfonso rescribit: «Non so se V. P. ha riflettuto: partirò sabbato, giorno dedicato alla Vergine, e nel giorno medesimo che cominciò l'Istituto», id est, die 9 novembris. Romae usibus iam fere familiaris ac initis cum auctoritate ecclesiastica colloquiis suggerit die 6 decembris, antevigilio Purissimae Conceptionis: «Padre mio: nel ricevere la lettere fate una novena a Maria Vergine e a S. Giuseppe... Padre mio: allegramente. Le orazioni fanno molto e si vede che questo affare il Signore lo dirige» (69).

Quod autem consodales his nuntiis roborati protectioni B.M. Virginis felicem commissionis terminum tribuerint nos docet R. mus P. Blasucci in sua super his tractationibus *Relatione* (70): «Alli 20 novembre il P. Villani presentò la Relatione del card. Spinelli al Segretario del Concilio, così disponendo Iddio che nella Presentazione di Maria, la quale era l'unica guida della barca, sortisse la prima presentata delle scritture... Al primo dicembre, che fù il terzo giorno dell'Immacolata Concezione di Maria, che il Padre faceva con gran fervore e mortificazioni di di-

(67) *Diario ordinario* n. 4900, 18 XII 1748.

(68) Em. mus Antonius Gentile, S.C. Concilii praefectus, cum quo P. Villani Instituti causam egit, erat devotissimus B.M.V., adeo ut intra suum palatium in honorem Illius academiam foveret. Cfr *Diario ordinario* n. 4923, 8 II 1749, p. 4).

(69) Arch. gen. C.S.R. XXXVII A 9: Epistolae P. Villani.

(70) Arch. gen. C.S.R. XXXVII A 8: Notizia del viaggio di Roma fatto dal P. D. Andrea.

disciplina, cilizi e digiuni, il card. Gentili la commise al card. Besozzi». Subscripto vero approbationis decreto die 25 januarii an. 1749, et quidem sabbato, enarrat ipse P. Blasucci: «A tal notizia ebbe grandissima allegrezza e stando alla mensa ad ora di pranzo si buttò di faccia a terra... E ciò accadde nella novena della Purificazione, quale il Padre (che per altro non faceva che novene) allora stava facendo, perchè diceva che tutte le sue speranze dopo Gesù Cristo erano in Maria: facendogli vedere la speranza che quante volte usciva una grazia ed un buon successo della causa era il giorno di sabbato o nelle novene della Madonna». Et adiungit Relator: «E perciò scrisse in una sua in data 31 gennaio queste parole: Io confido a Dio benedetto, Maria Immacolata e S. Giuseppe che avremo questa consolazione. Andremo a visitare Mamma [notate vocabulum] a Loreto per ringraziarla come l'ho promesso».

Omissis alijs plurimis eiusdem generis praeconijs, etiam apud S. Alfonsum tunc temporis frequentioribus (71), facile intuemur Instituti lumina paucos post menses in capitulo generali Nucerinae coeuntia voluerint exordia canonica (72) operis missionarii Purissimae Conceptionis munimine sacrare. Praeter robur namque supernaturale huic deliberationi insitum pervulgabat totius familiae grati animi testimonium simulque Redemptoris milites in primam aciem advehebat exercitus nationalis, qui auspice rege Carolo Borbonio (et scimus quanti aestimabat et quomodo S. Alfonsus tunc exquirebat regium praesidium) caelestis Imperatricis vexillum portendebat. In capite igitur decisionem suffragatores capituli praestituerunt: «Che la principale Protettrice della Congregazione sia Maria sotto il titolo dell'Immacolata Concezione». - Ad haec: «Che dopo il corso di Teologia ogni soggetto debba far voto di difendere la Dottrina dell'Immacolata Concezione di Maria» (73). Hanc declarationem confirmavit et perpo-

(71) In epistulis v.g. quandoque incipit: «Sia lodato il SS.mo Sacramento e Maria Immacolata» (*Lettere* I 142).

(72) «E considerata la nostra Congregazione ora nascente dopo l'approvazione delle Regole e dell'Istituto avuta dalla S. Sede» (*Acta Capitulorum gen.*, Romae 1899, 3).

(73) *Acta Capitulorum gen.* 8. - Textus huius voti sic sonat: «Ego N.N. Cong. SS. Redemptoris, voveo et iuro me, iuxta SS. Pontificum Pauli V et Gregorii XV Constitutiones, publice et privatim velle pie tenere et asserere atque defendere, etiam cum periculo vitae, Beatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, absque originalis peccati maculam conceptam esse, donec aliter a S. Sede Apostolica definitum fuerit. Ita me Deus adiuvet et sancta Dei Evangelia» (Cfr G. VAN ROSSUM, *S. Alphonsus et Immacolata Conceptio*, Roma 1904, n. 229).

livit etiam capitulum an. 1754: «La principal Protettrice sarà María SS.ma sotto in titolo dell'Immacolata Concezione. Quindi la sua festa sarà solennizzata dai nostri con la maggior divozione e pompa possibile; ed i coristi, terminato il corso della teología, faranno il voto di difendere il suo Concepimento Immacolato» (74). Denique capitulum an. 1793 statutum renovavit: «Terminati gli studj faranno tutti il voto di difendere l'Immacolato Concepimento di María SS.ma» (75).

4. — Consona vocis ac cordium exultatione susceperunt missionarii, usque ad dogmatis definitionem, Purissimae Corredentricis patrocinium, S. Fundatore publico praecone, qui in *Gloriis Marianis* asseruit: «Mi son diffuso [in questo discorso] più che negli altri per ragione che la nostra minima Congregazione ha per sua principal Protettrice la SS. Vergine María appunto sotto questo titolo della sua Immacolata Concezione» (76). Tanti Doctoris ac Parentis filij summo sibi honori duxerunt hanc familiae traditionem in se ipsi recolare ac ubique gentium verbo et calamo circumferre: nisi enim prius eorum corda ignis iste adussisset, inanes coram populo victorias illi cumulassent. Heu nefas! Plurimae notitiae ad spiritualem uniuscuiusque profectum sub Mariae afflatu spectantes, iniquitate temporum evanuerunt; attamen ex his quae supersunt exstruere adhuc possumus quemdam gloriosum porticum seu — neologismo utar — «galleriam», ubi eorum effigies — saltem principaliores — ob oculos nostros versentur.

Ecce iuxta Instituti cunabula Ven. Caesar Sportelli, cuius ditissima spiritualitatis vena aestu erga «Mamma Maria» rubescit cuique in processibus adsignatur institutio «dei sabbatini in onore di Maria» (77). In litteris, v.gr. datis piissimae puellae claustrum ingredi concupiscenti, sed ab ingressu impeditae scribit: «Per ora il Signore vi assegna per clausura il vostro interno. Dentro di voi avete a formare il monastero, il tempio e l'altare... La superiora di quest'interna clausura è la Immacolata Vergine Maria, Madre di Dio...» (78). Ecce Ven. Ianuarius Sarnelli, nobile ingenium ac cor semper ignivomum, scriptis et praedicationibus Conceptionis Immacolatae antesignanus (79), quin tamen exerci-

(74) *Codex Regularum et Constitutionum Csr.*, Romae 1896, 32.

(75) *Acta integra Capitulorum generalium Csr.*, 1749-1764, Romae 1899, 167.

(76) *Le Glorie di Maria* II 32.

(77) *Nucerina... Ven. S. D. Caes. Sportelli. Super introductione causae*, Romae 1899, 88.

(78) *Epistolae Ven. S. D. CAES. SPORTELLI*, [ed. C. HENZE], Roma 1937, 101.

(79) Cfr opus suum: *Le Glorie e le Grandezze della divina Madre*, Napoli 1888, 83; 119.

tia popularia contemneret, v.gr. «Coronella in onore delle Dodici Stelle che coronano Maria Immacolata», vel cooperationem manuum suarum in «infilare rosarii [tempore recreationis] e tagliare cartelle dell'Immacolata» (80). Ecce S. Gerardus Maiella, cui similia his oblectamenta a processus testibus adiudicantur ac cuius aspirationes in suae iuventutis «Sponsam» hoc proposito concluduntur: «Io mi eleggo lo Spirito Santo per mio Consolatore... E Voi, divina mia Gioia Immacolata Vergine Santissima; Voi ancora eleggo per seconda Protettrice in tutto il tempo della mia vita e per quanto mi bisognerà, e siate l'unica mia Avvocata appresso Dio per questi miei propositi e bisogni» (81). Ecce S. Thaumaturgi socius ac in spiritu moderator, P. Franciscus Margotta, cuius in Purissimam Conceptionem pia exaltatio atque zelus generosus pro eiusdem inter adolescentes diffusione in scriptis P. Francisci Pepe SI. laudantur (82). Ecce pariter iuvenis missionarius Pasqualis Caprioli, qui in suo codice spirituali adnotat: «25 dicembre 1752... Per maggiormente piacere a Maria SS.ma, la Mamma, il Rifugio, l'Immacolata del cuor mio feci voto... di recitare il rosario a Maria Vergine Immacolata» (83). Ecce denique vox ac symbolum traditionum nostrarum, P. Antonius Tannoia, cuius impulsu - etsi iam esset octogenarius - devotio regni neapolitani erga Sanctissimam Conceptionem exprimi voluit missa et officio Ordini Seraphico concessis (84).

Nec in praefata «galleria» desiderantur electae iuvenum animae Reginam puritatis circumvolantes. Duos tresve ex primitivis commemorare sufficiat: Ven. nempe Dominicum Blasucci, «lilium bene olens» ab hagiographis dictum, cuius amoris impetus in Matrem Immaculatam sic testes describunt: «Voleva ardere e diventar cenere per Maria Immacolata: voleva amarla quanto l'amava la Santissima Trinità» (85); et studentem Andream Zabatti, immatura quoque morte praereptum (1753), qui pridie sui dul-

(80) *Neapolitana... Ven. S. D. Ian. Sarnelli. Nova Positio Super virtutibus*, Romae 1906, 50-57. - Adiungit testis: «Le sue lettere portavano sempre in cima questa epigrafe: Viva la SS. Trinità! Viva Maria Immacolata!».

(81) O. GREGORIO, *Sulle orme di S. Gerardo*, Materdomini 1948, 45. - Cfr D. DE FELIPE, *San Gerardo Mayela*, Madrid 1954, 522. Opus splendidum, spiritu critico et historico ornatum.

(82) F. PEPE, *Sabati dell'Immacolata Concezione*, Napoli 1757, 393.

(83) FR. KUNTZ, *Commentaria* V 30.

(84) F. DUMORTIER, *P. Antonio Tannoia, con note ed appendice di ANTONIO BALDUCCI*, Casalbordino 1938, 107-108.

(85) *Nucerina... Ven. S. D. Domini Blasucci. Super introductione causae*, Romae 1906, 26.

cissimi obitus inscribit epistolam: «Viva Gesù e Maria Immacolata. Adesso già disperato dai medici sto aspettando quanto prima quell'ultima ora per andarmene alla mia vera patria» (86).

Ecquid alios enumerare persequar? Ex arvis neapolitanis in Siciliam atque Statum Pontificium indeque ultra Alpes atque trans oceanum immissa stirps ligoriana, nedum exsiccata, vegetior reffloruit succo huius marianae devotionis alita. R. mus P. Franciscus de Paola nunquam de Mariae excellentiis ac potissimum de eiusdem Conceptione Immacolata tam pie ac erudite scripsisset nisi traditionali pietati nostrae marianae inhaesisset. Hoc etiam traditionis cibo pavit suos alumnos tanquam S. Fundatoris sub eodem respectu fidos haeredes. Memorate S. Clementem M. Hofbauer, gigantem contra fidei hostes, infantem ad pedes B.M.V. provolutum: inde tamen oculos ad Illius Cor Immaculatum ipse elevans palam professus est «qualiter, [sic ipse ad S. Sedem an. 1803] nonnisi opera potentissimoque conatu Magnae Dominae et Virginis Mariae» introduxerit extra Italiam praeaudatam suam Congregationem (87). At simul facem Instituti marialem discipulis porrexit in ea precatone incandescentem, quam — ut ipsi in processibus fatentur — «ad Matrem Dei nobis commendavit. O Maria [ait S. Clemens]: per tuam sanctam et Immaculatam Conceptionem munda cor, corpus et animam meam in nomine Dei Patris, cuius Filia fuisti: in nomine Dei Filii, cuius fuisti Mater: in nomine Dei Spiritus Sancti, cuius fuisti Sponsa: et in nomine Sanctissimae Trinitatis, cuius templum electum fuisti et eris in saecula. Amen. - O Mater mea dolorosa: Tibi me commendo per sacrum Cor tuum: Te rogo, ut miserearis mei et omnium peccatorum. O Maria: esto vita mea, quando spiritum tradam et animam agam nec ad Te confugere potero. Memento tunc vivum me hodie et semper Te invocasse» (88).

A vobis quaero num hodie, post actuaalem familiae nostrae Congressum, simplicius et aptius exprimi possit quidquid de Immacolata Dei Genitrice a S. Alfonso accepimus? Vos etiam interrogo, utrum recinat necne priscum Scalensis *Directorii* sonum seu «echo» precatio Ven. Iosephi Passerat, qui iam senior ac definitione Immaculatae Conceptionis tandem recreatus non destitit

(86) FR. KUNTZ, *Commentaria* V 85 ss.

(87) *Monumenta Hofbaueriana* II, Toruniae 1929, 62-63.

(88) *Vindobonensis... Ven. S. D. Clementis M. Hofbauer. Super virtutibus*, Romae 1873, 89.

a repetendo novitiorum gestu: «Quod Regula cuique Redemptoristae praecipit [declarat testis in processu], ut humi prostratus mane et vespere ter Ave in honorem Immaculatae recitet, hoc usque in senectam et senium implevit. Cumque surgere non amplius valeret, lamentans Fratrem infirmarium rogabat; ut de hoc officio eum moneret» (89).

Officium prorsus dulce. Illud pariter adimplens R. mus P. Rudolphus Smetana responderat die 2 augusti an. 1853 Summo Pontifici Pio IX: «... Praecepta tanti Patris nostri nos filii S. Alfonsi fideliter semper secuti sumus... Votum pro tuenda Immaculata Conceptione B.M.V. exultantes emittimus: scribendo et praedicando hanc doctrinam profiteamur et festum Immaculatae Conceptionis in ecclesiis nostris ubique cum summa solemnitate celebramus...» (90). Celebratio pro illis liturgice quoque renovata ex concessione Instituto nostro officii et missae propriae [id est, Urbis] necnon officii Immaculatae votivi in sabbatis, formulae «Et Te in Conceptione Immaculata» pro praefatione et invocationis «Regina sine labe originali concepta» litanis lauretanis inserendae.

Celebratio demum - etiam intra Institutum - internationalis. Ex dissitis etenim plagis americanis testis familiae nostrae clarissimus, Ven. Ioannes Nep. Neumann, in hanc Almam Urbem pervenerat, solempni Immaculatae Conceptionis definitioni cum aliis nostris episcopis adfuturus: interfuit sane historicae caeremoniae prope S. Pontificem Pium IX manu tenens sacrum missale: de quo et tunc ex corde gavisus (91) et dein in Domino gloriatus est, cum in parva collegii Monteronensis cella duas trasve hebdomadas substitit, cunctis sodalibus periucundus odore virtutum ac zeli exemplis (92). Illius gaudium absque dubio redundasset si tunc suspicari potuisset nos hodie, temporis rota

(89) *Tornacensis... Ven. S. D. Ios. Passerat. Super introductione causae*, Romae 1901, 95.

(90) *Pareri sulla definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento della B. Virg. Maria IX*, Roma 1852, *Appendice* p. 75-78; 80-83.

(91) *Philadelphiensis... Ven. S. D. Ioann. Nep. Neumann. Super virtutibus*, Romae 1907, 354.

(92) Arch. della Casa di Monterone. *Notizie cronologiche dell'Ospizio e Chiesa (1815-1869)* f. 68, anno 1854: « Venne ancora Mons. Vesc. di Filadelfia in America P. Gio. Neumann della nostra Congregazione, e non essendosi altra stanza libera che quella piccola del terzo piano che è l'ultima a destra e guarda la strada, si contentò di abitare in essa... Si portò pure il medesimo Vesc. a cantare la messa solenne nella vicina chiesa di St. Andrea della Valle per ragione che essendo egli delle Estere Missioni fu perciò invitato dai Presidenti della Pia Opera della propagazione della Fede ivi stabilita sotto la protezione di S. Francesco Saverio ad onore del qual Santo si fa funzione speciale li 3 dicembre ogni anno ».

centum annos pervolante, circumcincturos Te, R. me Pater (93), praeclarum Americae ornamentum, dum locum S. Alfonsi gerens huic Congressui dignissime praesides in honorem Purissimae Conceptionis convocato. Universis denique Congressus aulam ingredientibus plaudendam offerimus inscriptionem, quae centum abhinc annis, in prima post dogmatis definitionem solemnitate Romae a nostris celebrata, frontispitio ecclesiae S. Mariae de Monterone affixa mansit :

PATRONAE AUGUSTISSIMAE
MARIAE IMMACULATAE
CONGREGATIO SANCTISSIMI REDEMPTORIS

(93) R. mus P. Gulielmus Gaudreau, Superior Generalis et Rector Maior, ante electionem suam sodalis fuerat Provinciae Baltimorensis.